

pta, falsa est & erronea.

Si verū est illud Prophetæ, Iustus ex fide viuet: ergo iustus, ex fide operatur. Deinde Spiritu antè nos viuere oportet, quām Spiritu ambulemus. Spiritus autem fide recipitur: imò ipse est qui dans fidem, nos simul regenerat. Profani isti homines imaginantur opera moraliter bona ante fidem. At qui inter fideles opera non aetibus, sed fine pensantur, inquit Augustinus, lib. 4. cōtra Iulianum. Vnde cōcludit, Nos, quæ videntur bona opera, dicimus non esse vere bona sine fide: quoniam necesse est bona opera place re Deo, cui sine fide impossibile est placere. Item lib. ad Bonifac. 3. cap. 5, Nostra, hoc est Catholica fides, iustos ab iniustis, nō operū, sed fidei lege discernit: sine qua etiā quæ videntur bona opera, in peccata vertūtur. Sed quid istis bestijs facias? Volūt nos iuste viuere, priusquā opcretur in nobis Christus, qui est Dei iustitia. Volūt nos ad bene agendū liberos esse, priusquā redemptis simus à tyrannide peccati. Volunt nos ex cordis immunditia offerre hostias boni odoris.